

AD CAPITVLVM XXVIII

1. Atalanta

Fuit ōlim pulcherrima puella, nōmine Atalanta, cui plūrimī virī, quī eam ita amābant ut uxōrem dūcere vellent, multa et pretiōsissima dōna ex variīs orbis terrārum partibus ferre solēbant. Atalanta autem nūllum ex illīs virīs amābat nec
5 dōna eōrum accipere volēbat; quī vērō, cupidī eam uxōrem dūcendī, iterum iterumque salūtātum adībant eiusque pulchritūdinem verbīs magnificīs laudābant. Hoc igitur cōnsilium eōs dīmittendī causā excōgitāvit: virōs omnēs, quī eam uxōrem petēbant, ad cēnam apud sē vocāvit.

10 Postquam omnēs adfuērunt, servī vīnum in pōcula fūdērunt, quod virī, quī parātī erant ad audiendum, cupidē bibērunt. Dum vērō cibum in mensā appositum sūmunt, Atalanta “Ō virī,” inquit, “ūsque ad hunc diem nūllum marītum habēre volūi, neque quisquam efficere potuit ut mē uxōrem dūceret
15 nōlentem. Nōn ignōrātis tamen mē tam celerem esse in currendō ut nēmō unquam mē currentem adhūc cōsequī posset. Sī igitur mē in mātrimōnium dūcere cupitis, parātī estōte ad currendum: ita currite ut mē vincātis, sī potestis! Sīn vērō ipsa vincam, continuō faciam ut interficiāminī!”

20 Haec verba locūta, servōs arcessīvit, quī locum ad currendum idōneum ostendērunt, cuius in ultimā parte duo saxa magna posuerant. Omnēs valdē timēbant: nam, etsī bene artem currendī didicerant, sciēbant Atalantam ventō celerius currere, neque facile vincī posse; eius tamen pulchritūdine
25 captī, ac spērantēs sē, diīs iuvantibus, eam uxōrem dūctūrōs esse, quamquam perterritī, currendō vincere cōnārī voluērunt.

Atalanta -ae f

uxōrem dūcere = uxōrem suam facere

pretiōsus -a -um = magnī pretiī



vīnum in pōculum funditur

petere = postulare (cupide)

cēna = cibus quī circiter hōrā nōnā vel decimā sūmitur

fundere fūdisse fūsum

bibere bibisse

ap-pōnere -posuisse -positum (< ad-)

mātrimōnium -ī n: in mātrimōnium dūcere = uxōrem suam facere

arcessere -īvisse

idōneus -a -um = conveniēns

ultimus -a -um ↔ p̄rimus

pōnere posuisse positum


Hippomenēs -ae m Gr (acc -ēn, voc -ē)

Sedēbat haud procul ab eō locō atque forte, ab altō colle
prōspiciēns, virōs illōs ad currendum parātōs spectābat
adulēscēns nōmine Hippomenēs, quī, cupidus eōs propius
aspiciendī, sine morā ad campum accessit quō omnēs 30
currendī causā convēnerant.

iuvenis -īs m = vir circiter XXX annōrum

Postquam autem audīvit complūrēs ex illīs adulēscētibz
ad mortem certam ire, “Nimis magnum” inquit, “est huius
amōris pretium! Temerārīi mihi hī omnēs iuvenēs videntur
esse, sī vēra sunt, quae dē Atalantae celeritāte nārrantur!” 35

Cum prīmum vērō pulcherrimam puellae faciem et
fōrmōsissimum corpus, positā veste, vīdit, tam multum eam
amāre coepit, ut spērāret nēminem currendō eam cōsequī
posse: ipse enim volēbat eius coniūnx fierī: nam eī pulcher-
rima esse vidēbātur omnium fēminārum, quās umquam 40
vīderat.



tuba -ae f



corōna

Postquam servus tubā signum proficīscendī dedit, omnēs
celeriter currere coepērunt: ante omnēs, sagittā celerior,
currēbat Atalanta; cēterī vērō, cōnātī eam cōsequī atque per
longum spatium secūtī, tandem ita currendō fessī fuērunt, ut 45
alius post alium cōsisterent et victōs sē esse fatērentur: ex iīs
complūrēs multīs cum lacrimīs maerēbant; nam sciēbant sē
ad certam mortem missum irī.


intereā = interim | currere cucurrisse
mēta -ae f saxum, quō fīnis currendī
significātur

corōna -ae f
vincere vīcisse victum | hominēs victī
horrendus -a -um = terribilis

Atalanta intereā tam celeriter cucurrit ad mētā, quō prīma
pervēnit, ut ālae in pedibus eius esse vidērentur. Eius caput 50
corōnā cingitur; victī sine morā interficiuntur. At quamquam
iī ad horrendam necem missī erant, Hippomenēs sine timōre
mortis in cōspectum puellae vēnit et “Cūr” inquit “facilem
glōriam quaeris vincendō dēbilēs virōs? Mē vincere cōnāre!
Sī victor erō, nōn dolēbis quod ā tantō tamque fortī virō 55
superāris.”

Eum haec dīcentem Atalanta intuēbātur: quae, cum
prīmum eum cōspexit, ā tam pulchrō adulēscēnte sē victum
irī spērāvit et “Quī deus” inquit “tam saevē cupit istum
perdere, ut eum cōgat mē uxōrem petere vītāe periculō? 60
Discēde dum potes, puer, et vītā servā! Omnēs puellae
cupient tē marītum habēre! Cūr tamen sī dē tuā morte cōgitō
animus meus ita turbātur, tot virīs iam ante occīsīs? Ah, miser

victor -ōris m = quī vīcit



Hippomenē! Dignus erās vitā. Ūnus erās, cuius uxor fierī poteram!” 65

Ita loquēbātur, nec intellegēbat sē illum puerum iam amāre coepisse. Eī igitur persuādēre cōnābātur, nē temerārius esset nēve vītā amitteret. Cīvēs vērō et ipse Atalantae pater cursūs quī solēbant fierī poscēbant, neque moram patiēbantur.

Hippomenēs igitur Venerem, amōris deam, invocāvit “Ō Venus, adiuuā mē, et amōrem, quem tū dedistī, dēfende!” 70
Audīvit Venus haec verba, quae ventus ūsque ad eius aurēs tulit; sine morā igitur ad auxilium ferendum dēscendit ex Olympō et ad Hippomenem accessit; neque tamen quisquam alius eam vidēre poterat nisi Hippomenēs ipse. Cui dea tria 75
māla aurea dedit et “Hīc sunt” inquit “tria aurea māla. Dum curris, iace prīmum mālum, deinde alterum, postrēmō tertium. Nōlī timēre! Ego, Venus, tibi auxilium feram!”

Tubae signum dedērunt: Atalanta et Hippomenēs tam vēlōciter currere coepērunt, ut eōrum pedēs vix terram 80
tangere vidērentur. Cīvēs clāmābant: “Nunc, nunc, properā, Hippomenē! Pelle morās: vincēs!” Tum Hippomenēs ūnum ē tribus mālīs prōmpsit et iēcit. Puella ita mīrāta est, ut, cupida aureum mālum sūmendī, brevem moram faceret. Hippomenēs eam praeteriit; at illa post brevem moram iterum puerum 85
post terga relīquit. Quī rūsus mālum iēcit; puella autem, ut illud tolleret iterum brevī cōstitit; continuō vērō Hippomenē cōsecūta est.

Postrēma cursūs pars restābat; Hippomenēs “Nunc” ait 90
“adiuuā mē, ō Venus, quae haec mihi dōna dedistī!” et tertium iēcit mālum. Puella dubitāre vīsa est; at postea cōstitit mālum capiendī causā: Hippomenēs ad mētā cucurrit, quam prīmus cōsecūtus est. Victor nōn modo vītā servāvit, sed etiam Atalantam uxōrem dūcere potuit.

2. Veturia

Veturia fuit māter Gāiī Marciī, prūdentissimī ac 95
fortissimī virī, quī, postquam Rōmānōrum exercitum contrā Volscōs dūxerat et Coriolōs, māximam eōrum urbem, expugnāverat, ‘Coriolānus’ ā cīvibus suīs appellātus erat. Ob

ā-mittere ↔ accipere

cursus -ūs *m* < currere

ad-iuuāre = iuuāre

Olympus -i *m* = mōns Graeciae, ubi deī habitant

vēlōciter = celeriter

properāre = celeriter ire

pelle moram nōlī cōsistere

praeter-ire -īvisse/-iisse -itum

relinquere -līquisse -lictum

brevī (tempore)

cōsistere -stisise

re-stāre reliquus esse

Veturia -ae *f*

Volscī -ōrum *m pl*: hominēs quīdam quī Latium incolēbant

Coriolī -ōrum *m pl*: urbs Volscōrum

- 100 eius magnam glōriam Rōmānī primum Coriolānum valdē
laudābant et admīrābantur; posteā vērō tanta facta est eius
potestās, ut cīvēs eī invidērent eumque ad mortem dūcere
vellent: nōn tamen ausī sunt tam fortem virum interficere, quī
patriam ab hostibus servāverat. Imperāvērunt igitur ut ex urbe
discēderet nēve umquam posteā redīret.
- 105 Ergō Coriolānus, Rōmā pulsus, ad Volscōs cōnfūgit, quī
ōlim hostēs eius fuerant, iīsque persuāsit, ut Rōmānōrum
urbem oppugnārent. Id multō facilius iīs persuādēre potuit,
quod sē ipsum eōs ductūrum esse prōmīsit, quī et urbem
Rōmam et modum, quō Rōmānī pugnāre solēbant, optimē
110 nōverat. “Rōmā discessī” aiēbat Coriolānus, “ut certam
mortem vitārem, ad quam mē cīvēs meī mittere volēbant; nunc
ipse, vōbīs iuvantibus, plūrimōs cīvēs meōs ad Īnferōs mittam,
ubi umbrae mortuōrum versārī dīcuntur! Animus enim meus
tam irātus est, ut nullō aliō modō tranquillior fierī possit!”
- 115 Magnus igitur Volscōrum numerus, Coriolānō duce,
Rōmam oppugnāvit; castrīs circā urbem positīs, tam multīs
pugnīs Rōmānōs vīcērunt, ut iī, quī in apertīs campīs nōn iam
audēbant cum tam fortibus hostibus pugnāre, vellent potius
intrā mūrōs sē tenēre, unde urbem dēfendere cōnābantur.
- 120 Complūrēs diēs Volscōrum exercitus ita Rōmānōs intrā
urbis moenia inclūsōs tenuit, ut tandem omnī cibō et aquā
carērent. Tunc Rōmānīs necesse fuit lēgātōs ad Volscōrum
castra mittere: nam spērābant sē Coriolānō persuādēre posse,
ut saevum cōnsilium oppugnandī patriam mūtāret atque ā
125 moeniīs cum tōtō exercitū discēderet.
- Lēgātī igitur, postquam ad Volscōrum castra vērunt,
Coriolānum multīs precibus orāvērunt nē patriam iam
oppugnāret. Ille vērō, eōrum precibus minimē mōtus, iīs ut
abīrent irātus imperāvit, dīcēns ‘sē neque Rōmānōs, ā quibus
130 tam indignē pulsus erat, iam amāre, neque dē patriā, quae
suōs filiōs laudem ac glōriam merentēs tam turpiter ē fīnibus
ēiceret, multum cūrāre’; immō dīxit ‘eam nē nōmine quidem
patriae dignam esse’
- Lēgātī, tālī respōnsō acceptō, ad urbem rediērunt.
135 Postquam vērō Coriolānī verba audivērunt, mīrābantur

invidēre + dat = inimīcus esse ob bonum
aliēnum

audēre ausum esse (*perf dep*)

velle, *coni imperf.*

vellem vellēmus

vellēs vellētis

vellet vellent

cōn-fugere < cum-

discēdere -ssisse

pōnere posuisse positum

vincere vīcisse victum

tenēre -uisse

lēgātus -ī m = nūntius

minimē = nullō modō

fīnēs -ium m pl = terra (intrā fīnēs)

accipere -cēpisse -ceptum

senātor -ōris *m* = cīvis nōtus quī Romae magnam potestātem habēbat

Volumnia -ae *f*

complexī -xum esse

liberāre = liberum facere

Nausicaa -ae *f*

Alcinous -ī *m*

Phaeācēs -um *m pl* | Scheria -ae *f*

prudentia < prūdēns

Diāna -ae *f*. Iovis filia, *Nymphārum* domina

Nymphae -ārum *f pl*. deae silvārum et flūminum

diū = per longum tempus

Ulixēs -is *m*

co-orīrī -ortum esse (< cum-) = subitō orīrī

senātōrēs, et perterritī ac valdē turbātī erant cīvēs, perīculum sibi impendēns timentēs.

Tunc Veturia, Coriolānī māter, et Volumnia uxor parvōs filiōs trahēns, ad hostium castra vēnērunt, et virum orāvērunt nē Rōmae noceret nēve cīvibus suīs quidquam malī afferret. Tandem māter, uxor liberīque, eius genua complexī ac lacrimantēs, animum Coriolānī mōvērunt eīque persuādere potuērunt ut ab urbis moeniīs discēderet: victus igitur eōrum precibus, postquam suōs dīmīsit, Coriolānus agrum Rōmānum ab hostium exercitū liberāvit. Volscī tamen, irātī, eum ad mortem dūcī iussērunt. 140 145

3. Nausicaa

Nausicaa fuit pulcherrima puella, filia Alcinoī rēgis, quī in insulā Phaeācum, nōmine Scheriā, magnā cum prudentiā rēgnābat. Ōlim Nausicaa cum aliīs puellis et ancillis suīs in orā maritimā pilā lūdēbat: illa, sicut Diāna inter *Nymphās*, omnium fōrmōsissima esse vidēbatur. Cēterīs puellis “Celeriter currite” clāmābat, “hūc, hūc pilam iacite!” Imperābat Nausicaa ut ad sē pilam mitterent ancillae, quam deinde ipsa, manūs extendēns, captam ad ancillās versus iaciēbat. Pila ā puellā ad puellam volābat, neque umquam ad terram cadēbat, quia puellae tam cupidae erant eam capiendī, ut cadere nōn sinerent. 150 155

Postquam vērō diū hōc modō inter sē magnō cum gaudiō lūsērunt, rēgis filia pilam ad ancillam tam altē iēcit, ut illa capere nōn posset; cecidit autem in mare flūctūsque eam ita sēcum trāxērunt, ut mergerētur: itaque puellae simul omnēs tam magnā vōce clāmāvērunt, ut Ulixēs, nōtissimus ille Graecōrum dux, quī in silvā prope lītus dormiēbat, subitō excitārētur. 160

Ulixēs enim, quī multōs annōs per maria errāverat, tandem, magnā tempestāte coortā, tam valdē flūctibus iactātus erat, ut, nāve frāctā, in Phaeācum lītus eicerētur, ubi, fessus, longum somnum cēperat. Duñ vērō illās puellas spectat, sicut sēcum loquitur: “Heu, mē miserum! Quōrum in terram vēnī? Quae sunt illae puellae? Utrum sunt bonae et 170

175 probae, an ferōcēs, saevae atque inhūmānae? Utrum hūmānus
clāmor ad meās aurēs pervēnit, an Nymphae clāmāvērunt,
quae in montibus habitant? Quī ipse rem experior? Nam in
tantīs tamque multīs perīculīs versātus sum, ut nunc nihil iam
timeam.”

experīrī: (rem) e. = cognōscere quālis sit
(rēs)
versārī -ātum esse

Haec locūtus, ē silvā ēgrediēbātur Ulixēs; ex arbore
quādam rāmum multīs cum foliīs frēgit manū, ut partēs
pudendās sibi tegetet. Perrēxit autem īre, velut leō quī
dēscendit dē montibus; nūdus et sordidus tamque terribilis
180 vīsū erat, ut puellae omnēs, cum prīmum eum cōspexērunt,
hūc et illūc fugerent animō turbātae.

pudendus -a -um < pudēre; partēs pudendae:
partēs corporis, quās nōn decet nūdās
mōnstrāre | tegere tēxisse tēctum = operīre
pergere perrēxisse

Sōla autem Alcinoī filia mānsit: eam enim diī audācem
fēcerant; metū igitur dēpositō, stetit, Ulixem spectāns, quī ad
eam versus veniēbat.

manēre mānsisse

185 Ulixēs autem, eam intuēns, nesciēbat quid faceret: tandem
vērō hīs verbīs eam precātus est: “Utrum dea an mortālis es?
Sī enim mortālis es, beātissimī sunt parentēs, beātissimī
frātrēs; profectō eōrum animī semper laetantur, cum vident tē,
quae sicut flōs es eōrum domūs pulcherrimus; omnium vērō
190 beātissimus ille erit, quī tē uxōrem dūcet: nōndum enim tālem
mortālem vīderam oculīs, neque virum neque mulierem:
fōrmam tuam et pulchritūdinem admīror. Herī ē flūctibus
maris, quibus vīgintī diēs iactātus sum, effūgī; saeva
tempestās in hoc lītus mē pepulit, ut adhūc, fortasse, etiam
195 hīc mala paterer, sicut iam aliīs in locīs passus sum; tū vērō
adiuvā mē: tibi enim prīmae hīs in terrīs occurrī: cēterōrum
hominum, quī hanc urbem et regiōnem incolunt, nēminem
nōvī. Urbem vērō mihi ostende, ōrō tē, et dā vestem ad corpus
tegendum.”

dē-pōnere -posuisse -positum = dīmittere,
relinquere | stāre stetisse

precārī -ātum esse (< precēs) = ōrāre

uxōrem dūcere = uxōrem suam facere

200 Sīc autem respondit candida puella: “Iuppiter suam cuique
partem bonī et malī dat; cum igitur mala nōbīs dat, oportet
patī. Nunc vērō, quoniam ad nostram urbem et terram vēnistī,
neque vestīmentīs, neque aliīs rēbus egēbis. Urbem tibi
ostendam, in quā pater rēgnat meus: sum enim ego filia
205 Alcinoī, Phaeācum rēgis.”

ad-iuvāre = iuvāre
occurrere -risse

candida: pulchra

bonum -ī n ↔ malum

egēre + abl = (rē necessariā carēre)

Arcessīvit igitur Nausicaa ancillās, quae perterritae hūc et
illūc fūgerant, iīsque imperāvit ut Ulixem lavārent in fluvio

arcessere -īvisse

et tunicā palliōque vestīrent. Ulixēs vērō ancillīs “Stāte, ōrō vōs,” inquit “procul, dum ego ipse corpus lavō: nam pudet mē nūda membra ante puellārum oculōs ostendere.” 210

Postquam autem corpus lāvit, tam pulcher erat, ut sīc Nausicaa cum ancillīs loquerētur: “Initiō quidem mihi ille vir foedus esse vidēbātur; nunc vērō diīs similis est, quī caelum lātum habitant; ō ancillae! Nēmō mihi persuādēbit eum nōn esse rēgem quendam, vel fortissimum ducem. Optō ut ille dēlectētur hīc apud nōs manendō, et meus fiat marītus! Vērū date eī cibum, et vīnum, ut edat et bibat: diū enim, crēdō, cibō caruit.” Ulixēs igitur prīmum sūmpsit cibum, deinde vērō cum Nausicaā et ancillīs urbem petīvit, ubi ā rēge et rēgīnā acceptus est. 215 220

Post cēnam autem rēx eum rogāvit ut sibi nārrāret unde et quōmodo venīret, quō ire vellet. Ulixēs igitur, quī statim dīxit sē esse cupidum in patriam redeundī, multīs cum lacrimīs trīstem fābulam suam omnibus, quī ibi aderant, nārrāvit.

Rēx, tālī fābulā audītā, tam mōtus est animō, ut Ulixem omnī modō iuvāre vellet. Imperāvit itaque ut nāvis parārētur, quā vectus Ulixēs in patriam suam redīre posset. Ergō posterō diē Ulixes omnibus ‘valē’ dīxit et nāvem cōnscendit, ut tandem post tot annōs domum suam reverterētur. 225

Nausicaa autem trīstissima erat: postquam nāvis, quā Ulixēs vehēbātur, prōfecta est, in altum saxum ascendit; unde prōspiciēns diū nāvem abeuntem oculīs secūta est. Lacrimae vērō ex eius oculīs lābēbantur, neque quisquam aderat, quī eam maerentem cōnsōlārī posset. 230

4. Cyparissus

Cyparissus fōrmōsissimus adulēscēns fuit, quī ab Apolline dīligēbātur. Cotīdiē per silvās et campōs errāns, ferās, quae ibi versābantur, persecūtus capiēbat. 235

Dēlectābātur vērō ingentī quōdam cervō quī magna et lāta cornua in capite gerēbat, quae Nymphae aurō gemmīsque ita ōrnāverant ut etiam in obscurā silvā lūcērent; ipse cervus, sine metū, hominum domōs adīre solēbat, quī, manūs extendentēs, eius collum tergumque tangēbant. Ille enim 240

similis -e (+ dat) = quī idem esse vidētur
caelum lātum (= in caelō lātō) habitant

optāre = cupere

carēre -uisse

velle, *coni imperf.*
vellem vellēmus
vellēs vellētis
vellet vellent

parāre = parātum facere

vehere vēxisse vectum
posterus -a -um (< post) = sequēns

Cyparissus -ī m



cervus -ī m

Apollō -inis m = deus
lūcis et artis canendī

Nymphae -ārum *f pl*: deae silvārum et flū-
minum

ignōtus -a -um ↔ nōtus

of-ferre (< ob-) = sē datūrum esse ostendere

rapidus -a -um (< rapere) = celerrimus

herbōsus -a -um < herba
pōnere posuisse positum

im-prūdēns -entis ↔ prūdēns

per-cutere -cussisse -cussum
accurrere -currissevelle, *coni imperf.*
vellem vellēmus
vellēs vellētis
vellet vellent

dīlēctus -a -um = quī diligitur

nōllet nōn vellet | petere: poscere

viridis -e = herbae colōre

rigidus -a -um = dūrus



cupressus -ī f

adesse + dat = auxilium ferre

sepulcrum -ī n = locus ubi homō mortuus
ponitur

collum manibus, quamquam ignōtīs, nōn sine gaudiō offerēbat.

Prae cēterīs Cyparissus eum tam multum dīligēbat, ut 245
cotīdiē ad novōs campōs dūceret, ut bonam herbam ēsset, et
ad rapidōs fluviōs ageret, ut pūram aquam biberet; flōribus
variōrum colōrum cervī cornua mīrābilī modō ōrnābat, et,
tamquam eques, in eius tergō sedēns hūc et illūc vehēbātur.

Ōlim vērō, quoniam aēr calidissimus erat, circā merīdiem 250
cervus fessus suum corpus in herbōsā terrā posuit sub altae
arboris umbrā, ut frīgus ibi caperet. Cyparissus autem,
imprūdēns, dum suō arcū in silvā lūdit, sagittā cervum sub
arbore cubantem forte percussit; cum vērō, accurrēns, eum
morientem vīdit, ita turbātus est animō, ut ipse cum cervō 255
morī vellet.

Apollō, quī, postquam puerī clāmōrēs audīverat, ad eum
maerentem accurrerat, multīs verbīs eum cōnsōlārī cōnābātur;
neque tamen facere potuit ut miserrimus puer minus ob
dīlēctissimae bēstiae mortem dolēret. Plōrābat enim ille, ac 260
multīs cum lacrimīs flēbat; tam trīstis erat, ut vīvere iam
nōllet; immō, ā deīs inter lacrimās petīvit, ut sibi flēre sine
fīne licēret. Et iam membra in viridem colōrem vertī atque
capillī, quibus candida frōns operiēbātur, horrēre coepērunt:
Cyparissus tunc arbor factus est alta et rigida, cuius pars 265
summa caelum stēllīs ōrnātum spectāre vidēbātur.

Apollō igitur, trīstis ad arborem
accēdēns, “Ego” inquit, “semper tē
flēbō, amīce; tū vērō aliōs flēbis et
dolentibus hominibus omnī tempo-
re aderis!”

Hoc est cūr arborem, quae ex
illō puerō Graecē ‘cyparissī’, La-
tīnē vērō ‘cupressī’ nōmen habet,
prope amīcōrum nostrōrum sepul-
cra pōnāmus.



sepulcrum

270

275

5. Alcēstis

Alcēstis bona et proba uxor Admētī fuit, quī eam Graeciae regiōnem, quae Thessalia appellātur, tam bene regēbat, ut nōn modo incolīs, vērū etiam deīs, et prae cēterīs Apollinī, cārissimus esset.

Postquam vērō Admētus ad quadrāgēsimum aetātis annum pervēnit, Apollō eī in cubiculō suō versantī “Mox” inquit “pallida mors ad tē veniet, quae imperābit ut ad Inferōs dēscendās, unde nēmō rediit umquam. Magnō igitur in periculō versāris; petīvī tamen ā Parcīs, ut, aliō homine prō tē datō, tot annōs posthāc vīverēs, quot iam vīxistī; ergō, sī aut pater aut māter aut uxor aut amīcus quīdam prō tē morī volet, tū mortem effugiēs, atque inter vīvōs multōs adhūc annōs manēre poteris. Ergō cūrā, ut inveniās aliquem, quī prō tē sit ad moriendum parātus, nē Thessalī rēge suō careant.”

Ut tempestātēs mare tranquillū turbāre solent, ita verba Apollinis animum Admētī turbāvērunt. Pater vērō, cubiculum ingressus, filium colōrem mūtāvisse animadvertit et “Quid pallēs, fili?” inquit “Utrum aegrōtās an territus es?” Filius autem id, quod Apollō dīxerat, patrī nārrāvit, eumque rogāvit, ut prō sē ad illud rēgnū dēscenderet, ubi umbrae mortuōrum versārī dīcuntur. At pater, manū extendēns ac filiī manū apprehendēns, multīs cum lacrimīs “Quis” inquit, “tam fortis est, ut ipse mortī sine metū occurrat? Quamquam enim tē multum dīligō, fili mī, nesciō quid faciam: nam timor mortis animum meum vincit.” Admētus ā patre tam maerēns discessit, ut prae animī dolōre loquī nōn posset.

Ad mātrē igitur accessit, cui persuādēre cōnātus est ut prō sē morerētur. “Ō māter,” inquit “saepe dīxistī tē deōs deāsque omnēs ōrāvisse, ut mihi longissimam beātamque vītam darent: nunc autem vidē: nisi quis prō mē ad Inferōs dēscendat, brevī ātra mors mē rapiet, neque umquam ad vīvōs redībō. Adiuvā mē, sī mē amās!” Māter autem, etsī valdē dolēbat quod tantum periculū filiō impendēbat, mortem prō eō adire nōn audēbat; Inferōs enim ita timēbat, ut dē iīs cogitāns tōtō corpore tremere.

Alcēstis -is f

Admētus -i m

Thessalia -ae f. regiō Graeciae

incola -ae m/f = quī/quae incolit

Apollō -inis m = deus lūcis et artis canendī

cārus -a -um = quī dīligitur

aetās -ātis f = annī quōs aliquis vīxit

petere = poscere

Parcae -ārum f pl = trēs deae quae filium aetātis hūmānae circum vertunt

Thessalī -ōrum m pl: cīvēs Thessaliae

in-gredī -gressum esse ↔ ē-gredī animadvertere -vertisse

rēgnū -ī n = rēgis imperium

discēdere -ssisse

ad-iuvāre = iuvāre

dilēctus -a -um = quī diligitur

Plūtōnis rēgnum: Īnferōs

ego, *gen* meī

ā-mittere -mīsisse -missum ↔ accipere
diū = per longum tempus

flēre -ēvisse

Herculēs -is *m* = Iovis filius, deus Graecus

rēgia -ae *f* = rēgis domus

etiam-sī = quamquam, etsī

cōgere < cum + agere; ne cōgerēris: nē
necesse tibi esset | ex-cipere -cēpisse -
ceptum = accipere, admittere
hospes -itis *m* hospitēs sunt amīcī quōrum
alter alterum apud sē semper bene accipit
honōs -ōris *m* = signum laudis, laus

re-dūcere
relinquere -līquisse -lictum
currere cucurrisse
vincere vīcisse victum

Tum Alcēstis, quae Admētum tōtam rem nārrantem, pa-
rentēsque ‘sē nōlle prō eō morī’ dīcentēs exaudīverat, “Ō Ad-
mēte, dilēctissime coniūnx,” inquit “tē plūs quam vītam 315
meam amō; sine morā parātissima sum ad moriendum; Plū-
tōnis rēgnum prō tē petam, unde negant redīre quemquam;
hoc ūnum tamen tē rogō, ut līberōs nostrōs etiam post mor-
tem meam bene cūrēs et doceās; ōrō quoque nē meī, quae
tantum tē amāvī, oblīvīscāris.” 320

Postquam Alcēstis tālia dīxit, Mors, adveniēns, eam rap-
tam ad mortuōrum rēgnum sēcum trāxit. Servī et ancillae,
maerentēs, āmissam dominam, quam omnēs amābant, diū
multumque flēvērunt.

Mox vērō Herculēs, virōrum fortissimus, mortālis fēmi- 325
nae et Iovis fīlius, quī per Thessaliam errābat, ad rēgiam Ad-
mētī perveniēns, postulāvit ā rēge, ut sibi fessō cibum
vīnumque daret.

Admētus, etiamsī ipse māximē maerēbat ob uxōris mor- 330
tem, nihil tamen dē eā rē dīxit, sed servīs imperāvit, ut cibum
et vīnum optimum ad mēnsam afferrent. Ipse vērō poposcit
ab Hercule, ut sineret sē ire dormītum, atque discessit.

Dum autem ēst et bibit, animadvertit Herculēs ancillās ser- 335
vōsque trīstissimōs esse ac lacrimāre, cuius reī causam inter-
rogat. Quī dē dominae suae morte nārrāvērunt; “Nescīs tū”
inquiunt “mala quae sunt in hāc domō: dominus enim noster
nihil tibi dīxit, nē animum tuum turbāret: coniūnx Admētī pe-
riit; quī tamen, nē cōgerēris aliam domum invenīre, tē excē-
pit, atque nōbīs imperāvit, ut tibi, hospitī omnī honōre dignō,
cibōs appōnerēmus. Ille vērō uxōrem mortuam in cubiculō 340
suō flet.”

Herculēs igitur surgēns magnā vōce clāmat: “Ad Īnferōs
dēscendam, ubi cum Morte ipsā pugnābō, ut, victa, tam pro-
bam fēminam marītō vīvīsque reddat! Nōlīte timēre: mox rē-
gīnam ad rēgiam redūcam!” 345

Haec locūtus, relictīs servīs, ad Plūtōnis rēgnum cucurrit,
ubi Mortem fortissimē oppugnātam vīcit, atque Alcestim ad
coniugem suum, quī vix oculīs suīs crēdebāt, redūxit.